

Preterea dominationi vestre reverende gracias plurimas agit de prompta et alacri animy sui voluntate in Adamo filio suo suscipiendo, quem nunc et iamiam ab isto presencium tabellione misisset ad eandem nisi hoc a marito suo facere ausa fuisset, qui fere sex ebdomadas abest a domo agitque cum rege in partibus Transilvanis, ejus adventus cottidie (sic) expectatur, qui ut primum advenerit nacti eo currum missuri sunt, interim dominatio vestra ipsum Adamum sciat suum esse adscribatque in numerum famulorum suorum, nova si que haberem dominationi vestre reverendissime scriberem ex animo sed profecto habeo nulla penitus; eandem felicissime valere cupio. Bude in festo penthecostes 1538.

Servitor Gabriel Pannonius
Pesthinus m. p,

Kivül: Reverendo domino meo, domino Alberto de Pereg preposito Quinqueecclesiensi ac profecto camere et consiliario Regie majestatis etc. domino observandissimo.

(Eredetiék az Orsz. Lvtárban. Az egyiken zöld viaszra borított papirosba nyomott pecsét, mely koronátlan pajzsban dombból ágaskodólag kiemelkedő bárány vagy chez hasonló állati alakot ábrázol, felette G P P = (Gabriel Pannonius Pesthinus).

Dr. Illéssy János.

HELL MIKSA LEVELEI.

IV.

Hell — Prayhoz.

Reverende in Xto Pater!

Praesens R. Patris Sajnovics Demonstratio haud dubie R. Vestrae inexpectata accidit; cui enim Ungarorum in mentem venire potuit, Idioma Ungarorum inter Lappones in ultimo septentrione vigere; erat quidem nonnullorum historicorum et Geographorum suspicio Ungaros cum Lapponibus in idiomate quodammodo conspirare, quos §. ultimo P. Sajnovics recenset, sed huic suspicioni, vel potius tenui opinioni, nunc adeo clara successit demonstratio, ut quotquot demonstrationem hanc legerint, de rei veritate omnino convincantur.

Si igitur Ungari et Lappones in idiomate conveniunt, an non rectum inde consequitur ratiocinium, Ungaros et Lappones ejusdem esse nationis? Si ita, quodnam lumen novum accendatur Historiae Ungariae, R. Vestra, quae per sua praeclara Historiae Ungariae opera per orbem litterarium meritissime inclaruit, acutissimo suo ingenio, me tacente, assequitur. Verum videor mihi videre R. Vestram causa novi hujus inventi metu laborare, quo vereatur, ne speciosum Deguinesii systema a R. Vestra adoptatum, uno velut ictu convellatur. Ut igitur R. Vestram metu hoc liberem, paucis certiozem facio, nihil esse, quod suae Historiae vereatur, mutatis

paucis, recte se habebunt reliqua; jam enim omnia a me disquisita habentur, eaque adeo certa, ut qui haec mea legerint (legent autem in mea Expeditione Litteraria¹ ad polum arcticum typis exprimenda) Ungarorum in Ungariam emigrationem extra dubitationis aleam positam habebunt.

Per litteras Patris Palma ad P. Sajnovics Haffniam datis edoctus sum, Patrem quemdam Ordinis Piarum Scholarum nomine Cetto quaedam contra Historiam R. Vestrae scripsisse, eoque in scripto iter nostrum arcticum (affirmante Palmio) contemptim habuisse; optassem Palmium accuratorem in suis litteris, maximam apud me gratiam iniisset, si Patris Cetto propositiones de itinere nostro, scripto suo insertas nobiscum communicasset; suspicor namque propositiones Patris Cetto a Palmio non recte intellectas fuisse, easque pro sarcasmo forsitan, quas ipse bona mente scripsit, habuisse; si enim Patri Cetto ex authore aliquo sub... Lappones et Ungaros in idiomate convenire, sciens nos Ungaros inter Lappones versaturos, facile in eam venire potuit mentem, ut scriberet, nos e Lapponia reduces de origine Ungarorum Ungaros rectiora edocturos; id quidem recte, sed haec contra Prayum aut nihil, aut parum facient; videtur mihi Adversarius triumphum cecinisse ante finem pugnae; ea de causa monui Palmium ne quidquam scripto Patris Cetto responderetur ante, quam ipse cum R. Vestra coram hac de re copiosius disseruero.

Nihil itaque est, quod R. Vestra magnopere suae Historiae vereatur, imo gratulor, R. Vestram primum futurum, qui paucis correctis, veram Ungarorum originem cum erudito communicatura sit orbe; cum enim ego in Expeditione mea litteraria, summaria tantum veritatis hujus capita, atque argumenta strictim duntaxat pertractare cogar, R. Vestrae erit haec fuisse orbi litterario proponere, meum erit argumenta mea, auctorisque de hac re tractantes R. Vestrae ob oculos ponere, R. Vestrae vero suum in usum convertere.

Cupio itaque summpere, dum me salvum Viennam futura aestate rediturum spero, cum R. Vestra de hoc argumento pluribus coram conferre. Commendo me, meumque itineris socium, meaque omnia in ssmam ad aras memoriam.

Haffniae 14 April 1770.

R. Vestrae
humillimus in Xto
Maximilianus Hell S. J.

P. S. revereor, quam humillime R. P. Rectorem, R. P. Pock, Patrem Faludi, caeterosque R. R. P. P. omnes. Historia R. Vestrae nec in septentrione ignota est, habetur enim hic Haffniae, et alibi locorum Daniae.

Külső czím: . . reverendo Patri in Xto Patri Georgio Pray e S. J.

Posony.

¹ Hell ez alatt a czím alatt szándékozott kiadni nagy munkáját a melyen éveken át dolgozott. Később elkedvetlenítettén, szándékával felhagyott; halála után minden kézírata s ezek közt az Expeditio Litteraria nagy rakás anyaga s kidolgozott részei is a bécsi csillagvizsgáló intézet könyvtárába jutottak.

V.

Hell — Weisshez.

Reverende in Xrto Pater Collega !

Accepi nuper a R. Patre Amon, nunc, quod admodum doleo, usu manuum, pedumque destituto valetudinario Ingolstadiensi dissertationes binas R. Patri Collegae tradendas, has nunc praesentes sisto.

Addo exemplar adeo a se deprecicati novi inventi Patris nostri Mayer Heidelbergensis astronomi. Titulus dissertatiunculae magni aliquid et inauditi, hoc est *novi*, et quidem a Patre Mayer recens inventi promittit; ast, ubi inspicitur materia pertractata, prodit ridiculus mus. Methodus tota versatur in differentiis meridianorum per horologium Harrisonii definiendis; quid quaeso methodus haec novi habet? an non dudum totus sciebat orbis, Harrisonii horologium pro definiendis in mari longitudinibus elaboratum esse? an longitudo in mari, aut terra firma aliud est, quam differentia geographica meridianorum? an fortassis novum, quod eodem instrumento, quo in mari utimur, utamur in terra firma? si quis ergo sectore Hadleyano, quo nautae definiunt elevationes Poli, utatur in terra firma ad definiendam elevationem Poli, an methodum dicere audebit novam? boni Superi! et quod adhuc insolentius in hoc scripto habetur illud est, quod Pater Mayer dicat methodum hanc a se *inventam* seu excogitatum; quid quaeso novi invenit? num ipse inventor est horologii Harrisonii, num inventor est methodi, et usus hujus horologii, ad definiendas longitudes? num longitudo geographica in mappis terrestribus, aliud quid est a longitudine geographica in mappis nauticis? quid ad haec lecta dicent Angli, Galli, caeterique erruditi viri; mihi fateor lectio haec ruborem excussit, dum mihi nunquam in mentem venire potuisset Virum Societatis nostrae, et aliena et adeo notoria pro sua, et quidem nova inventione (invente per Christian Mayer) publico proponere ausum fuisse; Methodum Harrisonii esse aptam, et approbandam (posita horologii bonitate) vel ipsi tyrones geographi noverunt. Sed hanc esse a Patre Mayer inventam, totus ridebit orbis; nisi fortassis suam esse velit inventionem sex illa horologia pendula, et totidem observatores in diversis locis collocatos; qui quidem observatores et pendula, praefixo titulo à *peu de frais* repugnant; neminem enim latet, minoribus longe sumptibus negotium hoc absolvi posse, si ipse peregrinans cum horologio Harrisonii instructus sit quadrante, quo una elevationes Poli definet, per altitudines solis, aut fixarum tempus sui loci verum (ut in mari) reperiat, ex quo differentia horologii Harrisonii a tempore observato dat ipsam differentiam meridianorum. Sed piget ultra prosequi ea, quae ipse R. Pater Collega optime novit. Methodus mea definiendi elevationem Poli nova omnino est, neque tamen hanc in meo scripto novam appellare ausus sum, metu ne forsitan jam antea cuiquam in mentem venisset.

Sed finio, et me in ssmam ad aras memoriam perquam demisse comendo.

Viennae 28 Nov. 1770.

R. Patris Collegae
humillimus in Xto
Maximilianus Hell S. J.

P. S. Oro dissertationes has, et Patri Sajnovics communicandas.

VI.

Hell — Prayhoz.

Reverende in Xrto Pater!

Quam acceptae mihi fuerint R. Patris litterae explicare vix possum. Cum enim in dies adventum R. Patris praestolarer, nudius tertius ex R. P. Provinciae Praeside intelligo, R. Patrem Viennam hoc quidem anno non cogitare, attamen dissertationem novam ante ejus impressionem mecum communicandam fore; eandem nunc R. Patris sententiam intelligo, quam ut amice dicam, probare vix possum; sunt enim mihi plurima, quae causa boni publici, et maxime societatis nostrae cum R. Patre conferre cupio. Si praeposito Carlio Vienna displicet, placebit forsitan Rectore Zanchio, cui R. Pater gratus haud dubie erit hospes, id si non displicet, ipse Rectorem adibo mentem R. Vestrae prepositurus; aut si hoc non placeat, Collegium Theresianum antiquum, et meritissimum recipiet incolam.

Pergrata mihi sunt ea, quae mecum circa unitatem idiomatis asiatici populorum non solum per Asiam, sed et per Europam, et Americam sparsorum communicare dignatur, probantur haec mihi omnia exceptis Korieis, et Americanis, quorum quidem idiomata, nisi fortassis R. Vestra alia habeat argumenta, nihil commune cum asiatico Sinensium habere videntur; idioma Kamschatkensium, ubi Koriei, multum cum idiomate Groenlandorum, Groenlandorum vero cum Americanorum in Hudsonsbay convenire videtur; si autem exploratum haberetur Kamschatkensium cum sinico convenire, haud difficile demonstraretur et Americanorum cum Sinensi conspirare, habeo vocabularium Groenlandicum, habeo elenchos aliquot dialectorum Kamschatkensium in itineralio Siberiensi descriptorum, quorum vocabula cum Sinensium nihil commune habere videntur; interea suspendo iudicium meum, dum argumenta R. Vestrae intellexero.

Plurimum etiam mihi probatur propositum R. Patris de adjicienda mappa geographica, quam tamen mihi ante communicandam rogarem ea de causa, quod mihi optime perspectae sint eae Regiones Sueciae et Norvegiae, in quibus idioma asiaticum hodiedum viget. Propositum mihi quoque est opera aut Patris Sajnovics, aut Patris Palma typis edendi historiam Anonymi Regis Belae Notarii cum notis, et interpretatione mea adjectis mappis geographicis, atque ex his conscriptam novam ordine chronologico

historiam, historiae Anonymi conformem cum publico communicandi; comperi enim historiam hanc Anonymi et cum sententia mea, et cum caeteris probatae auctoritatis historicis synchronis ad amusim conspirare.

Multum laboravi, ut Hionguos Deguinesii cum Hunnis historicorum graecorum, et latinorum, hoc est cum Fennis, et Fenniae vicinis populis septentrionalibus connectere possem; sed ut fatear, vix modum invenio: unum restat effugium, seu potius ramus horum populorum, qui fortassis cum ramo aliquo populorum Deguinesii connecti posset; illud tamen mihi certum videtur, nec illos Hunnos, qui tempore Valentiniani Anno 374 comparuerunt, nec qui cum Atila fuere seculo Vto, et multo minus, qui seculo IX in Pannoniam venere cum Hiongnis Deguinesii connexionem habere posse aliam, quam solam convenientiam idiomatis.

Legi opus praeclarissimum R. Vestrae contra Cettonem scriptum, reperi in hoc plurima argumenta sententiam meam firmantia, et quidem elegantissima; utinam cum R. Vestra oretenus mea conferre possem, esset fortassis, ut disceptatione mutua ea in lucem protraheremus, quae hucusque tenebris sepulta Oedippum exspectabant; maximo gaudio exultabam, dum intellexi R. Vestram ejusdem mecum esse sententiae de idiomate Sinensium tanquam Matre idiomatis asiatici, hoc est, Fennici, Lapponici, Ungarici etc.: ex hac enim idiomatis convenientia fortissimum reperi argumentum, Lappones, Samojedos, et universim omnes populos septentrionales Europae lingua fennica utentes olim ante ter, vel quater mille annos terras inhabitasse illas, quae Sinensium muro ad septentrionem proximae sunt, quas Sinenses *Lop*, et Tartari *Samo* appellant, Lappones enim seipsos compellant *Same* aut *Samalez*, aut *Samelein* etc. id est, e regione *Samo* prognatos.

Dabo operam, ut instructorem juvenem, cujusmodi R. Vestra pro herulis Spect. D. Végh desiderat hic loci reperiam. Pater Sajnovics vix mense Januario Viennam excurrere poterit, neque enim opus ejus mense Januario typis absolvendum arbitrator, gaudebo, si vel cum fine Februarii me inviserit.

Atque his dum felicem novi hujus anni decursum, longaevam, atque incolumem R. Vestrae valetudinem ad Patriae, Societatisque nostrae decus, et honorem, ex animo precor, me in omnia sancta, pretiosumque affectum per quam demisse comendo.

Viennae 4-ta Jan. 1771.

R. Patris Praefecti
humillimus in Xto
Maximilianus Hell.

P. S. Fasciculum librorum nomini R. Vestrae inscriptum demisse rogo, Patri Sajnovics prima occasione transmittendum Tyrnaviam.